

14575
III kat.komp. Mag. St. Dr. P

…nzaga

Łobzyński Ioan. Dionysii: Corona connubialis
sive Sertum Ludovico-Marianum.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№ 626.

# Corona Connubialis,

Siue

# SERTVM

# LVDOVICO-MARIANVM,

Ex Natalitiis Coronæ Gallicæ Liliis

Et Auſpicato Nomine

*SERENISSIMÆ*

# MARIÆ LVDOVICÆ GONZAGÆ,

Montis Ferrati, CLIVIÆ, NIVERSII

Ducis & Principis

PARIS FRANCIÆ.

*SERENISSIMI & POTENTISSIMI*

# JOANNIS CASIMIRI

Poloniarum & Sueciæ REGIS,

Sceptri Toriq́ue Conſortis Chariſsimæ.

Inter Nuptiales Vtriuſq́ue Maieſtatis Splendores

Non ſine Fauſtis, Bonæ Spei, Prognoſticis

Sub Auſpicijs Polonæ & Mantuanæ Aquilæ

Apollinari manu contextum.

*Anno à florido partu Virginis,* M. DC. XLIX.

M. Sebastiany Skyelarcz S. Th. Doctor: legavit Bibliothecae ... Mariae Virg...

CRACOVIÆ,

*In Officinâ Typographicâ Franciſci Cæſarij, S. R. M. Typog. Anno D. 1649.*

14575 III

20.


BIBLIOTH: UNIV.
JAGELLON.

AD

SERENISSIMAS
AVGVSTISSIMORVM

# JOANNIS CASIMIRI

POLONIÆ, SVECORVM, GOTTORVM, VANDALORVM,
REGIS POTENTISSIMI.

ET

SERENISSIMÆ

# LVDOVICÆ MARIÆ,

PRINCIPIS MANTVÆ,
MONTIS FERRATI ET NIVERSII
DVCIS, PARIS FRANCIÆ,
POLONORVM ET SVECIÆ
REGINÆ,

# MAIESTATES.

QVemadmodum Natales, ita & Connubia Magnorum Heroum, Regum ſuper omnia, magnitudine ſua, non ſine futuræ felicitatis indicio, (Solis ad inſtar, qui internuntium ſuæ quoque Serenitatis radium quoties exoritur, præmittit) eovſque ſe prodere conſueuerunt; vt nihil tam tenue, ſapientiſſimis quibuſque, hoc in paſſu videri debeat, quod in cenſum magni alicuius augurii venire non poſſit. Et Natalis quidem olim Tuus, SERENISSIME REX, (cui integra fronte etiam nunc occurrimus) prodigio



non

non caruit ſuo. Qui VERE ineunte, in lucem editus, vniuerſam Sarmatiam protinùs recreaſti, vtpote VER perpetuum Tuo non minus exortu, quàm Imperio Polonis aliquando futurus, vt iam tunc ſciremus, temporis ſuffragium, ſub Tuum Natalem, in auſpiciis fuiſſe. Et quia inſuper Martialis Tu ipſe Princeps futurus eras, vel ideo & in Martio natus, à quo & Fortitudinem; quemadmodum & à Sereniſſimâ Matre Tuâ, Conſtantiam, felici ſanè auſpicio promere hucvſque non ceſſas, quam ad Superos, receptam conſtanti probitatis miraculo etiam nunc reddis. Niſi quod & Connubium Tuum Regale, VER habet purpureum, Maius ſiquidem

*Genialibus annuit aris,*

*Maiaq; cum Violis, manibus dat LILIA plenis,*

*Coniungens AQVILAS AQVILIS, & LILIA SCIRPO.*

Quæ omnia & ſingula Tuarum fortunatiſſimarum Nuptiarum argumenta, dum nos quoque Eremi Paulinæ, ac ſimul Clari Montis Religioſi Incolæ, & quidem taciti contemplamur: Illico nos in auguria excitari ſentimus. Bonum omen, vndiq; ſiquidem ſe produnt amęnitates: vndiq; æquè Natalem ac Connubium Tuum, VERNÆ circumſtant Charites; & Cunæ & Thalamus tuus, VERNIS halant odoribus, *Totaq; florigeris reuireſcit gratia Tædis.*

Verùm enimuero abſit, vt ſola prata Maiumve, ad Genialem Tuum diem ridere, atq; floribus luxuriare campos dicamus, REX SERENISSIME, cum pariter & omnium noſtrûm animos, ad ſimiles amœni-

mœnitates videamus animatos. Siue enim quis Gẽtilitia MAIESTATIS Vestræ Stemmata, siue Regii Sanguinis inexhaustos splendores penitùs inspiciat, vbique in eis, ac si in fertilissimo quopiam viridario

*---- Inscripti nomina Regum*
*Nascuntur flores.*
*Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius vrit*
*Æstibus, æterno sed Veris honore rubentes.*

Vnde nihil est, quod MAIESTATES Vestræ, inuideant Hesperidum Adonidumque hortis, auriferis licet sint consiti arboribus. Cùm in vtrâque Prosapiâ Vestrâ semper sibi compar ramus.

*Primo auulso, non deficit alter*
*Aureus, & simili frondescit virga metallo.*

Nisi quod Magno Sanguini, magna semper debetur propagatio. Hinc fas non est, augure cælo, Vestrarum quoque MAIESTATVM Connubium futurum infæcundum. Qua in re sæculorum fidem appello: O quam enim innumeri non Principes tantum vel Duces, sed Summi quique Reges, imo etiam quâ olim Orientis, quâ nunc Occiden-Imperatores æquè in Tuum SERENISSIME REX MANIPVLVM; ac in Tua SERENISSIMA REGINA, LILIA, conuenerunt! vt non immerito idem Regius qui & Mantuanus Pöeta, progeniem ex Marcello aliquando prodituram prænuntians, purpureos spargere flores,

*& manibus dare LILIA plenis.*

Anchisem voluerit. Præterquam quod ex eâdem radice Vestrarum quoque SERENISSIMARVM

MAIESTATVM, promanaſſe mihi videntur florida Stemmata. Boni equidem ominis, quia Felicitatum fæcundiſſima Florilegia. Hoc ipſo Rebus Publicis ſaluberrima, quia clades & funera non portendunt. Regnatrice nimirum & Triumphatrice in domo conſita plantaria. Atque vertat hìc aliò Stylum, Vates ille

*Stemmata quid faciunt?*

Hìc id non quærat; Neque enim eſt otioſa Regalium Veſtrorum Inſignium coniunctio. Vbi Felicitas ex Felicitate prouenit: Honores honoribus aucti: Faſces faſcibus occurrunt. Huic igitur Tantæ & Tali, Regiæ Veſtræ Felicitati, atque Coniunctioni felici, poſt aliorum ſublimes Lauros, nos viciſſim Eremiticum, ac ideo fortaſſis parum conditum plauſum, dare haud tardamus. Triumphatrici MANIPVLO, necnon Ducalibus LILIIS (quibus iſtum quoque ſatis per ſe exilem, acſi Syderibus inſignimus Libellum) ſub Auſpiciis Lechicæ & MANTVANÆ Aquilæ, Bonæ Spei Prognoſticum conſecramus. Et certè in Noſtrâ Religiosâ parſimoniâ, non aliud, Sacrâ Regiâ Veſtrâ MAIESTATE, digniùs inuenire potuimus munus, quàm MAIESTATES Veſtras, in Veſtris Regalibus Inſigniis, arcanorum pleniſſimis, Vobis reddere. Nec decuit aliter floridos Principes ornari, niſi vt ex ipſiſmet, velut ex ditiſſimis Florariis encomiorum ſumeretur celebritas. Quod ergo adſpirârunt & inſpirârunt Veſtra Regia Symbola, id eloquimur: Inanium ſi-

quidem

quidem est, aliunde emendicatis frugi honoribus, cùm pleni de se porrigant vberē prouentum. Hinc & nos, frustra è longinquo quopiam cælo, aut etiā à Sibyllæ foliis, alia, Connubio Vestro Regio adornando elogia quęreremus, præter hæc, quæ sese nobis, in iisdem Regificis splendoribus deprædicanda cornu diuite obtulerunt. Omnino SERENISSIME REX, Coniugio Vestro Regali coronando apprimè conuenientissima ornamenta, quia & publicæ lætitiæ fertilissima Pancarpia. MARIANI videlicet in CLARO MONTE Cultores, ecquem magis, quam Te Inclyte Regum, MONTIS Nostri CLARI, Maximum Optimum Patronum, tum verò & SERENISSIMAM Tuam Consortem, Clarissimam inquam MONTIS FERRATI & Mantuæ Ducem, LVDOVICAM MARIAM, in Religiosis aut amoribus habeamus, aut præconiis maioribus prosequamur? Ingenii itaque amorisque, non fortunæ partū damus, potissimam nostri portionem, tantò pretiosius obligatæ fidei pignus, quantò illud purius, à semetipso Religiosus decerpit animus. Atque ex talibus, purissimis, inquam cogitationibus, veluti fragrantibus violis, Nostrum hoc quoque Apollinari manu, vt pote LVDOVICO-MARIANVM contexuimus Sertum. Nisi quod & MANIPVLVS odoratus, & LILIA fragrantia sentiri magis, quàm laudari possunt. Nata ornare cæteros, non ornari. Vnde & longè pulchrius in Paradiso æternitatis, quàm in Musarum ingeniis, vt vernare, ita & viuere consueuerunt. Ergo si quid siue è MANI-

PVLO, siue è Florum Principe, LILIIS, per nos hactenus est detritum; more Indorum, eundem MANIPVLVM & LILIA, per se ipsa formosissima (nimirum DOMINVM MANIPVLI, & LILIORVM DOMINAM placaturi) supplices, in genua ad venerationem positi, obiicimus. Cæterum, ne quid pleno, erga Sacras Vestras Regias MAIESTATES, affectui Nostro desit, in supplementum Ciuilis huius Eloquentiæ, ad Aram DIVÆ NOSTRÆ, per totam Europam celebratissimæ, atque IAGELLONICÆ Domui semper fauentissimæ Patronæ, piarum insuper orationum vectigal, pro incolumitate Sacrarum Vestrarum MAIESTATVM, nos persoluturos, votiuo officio, religioso obsequio, omni ære, omni nexu, fidem omnis posteritatis obligando, & pollicemur, & addicimus æternùm. Cæterum, ô Gemina Orbis decora, dum in manus, Sacrarum Vestrarum MAIESTATVM (quas & subiectissimè exosculor) hanc quoque gratulatoriam opellam, offero, simul & Montem nostrum Clarum, cum vniuerso Paulinorum Ordine, de manu in manum, sub Regiam clientelam trado, suæ Parentis nomine, Filius.

*Serenissimæ Vtriusque V. R. MAIESTATIS*

Deuotus & humilis Exorator

F. IOANNES DIONYSIVS ŁOBZYNSKI,
Ordinarius Prædicator in Monte Claro
Częstochouiensi.




# PANEGYRICVS AQVILÆ MANTVANÆ ET LILIORVM SERENISSIMÆ REGINÆ PARIS FRANCIÆ REGALIVM INSIGNIVM.

AVgusta Nuptiarum, Sacræ Regiæ Vestræ MAIESTATIS, Magnitudo facit, vt angustiæ animi calamiq́ue mei, Laconico Applausu expleri nequaquam possint. AQVILÆ nimirum MANTVANÆ, LILIORVMQ. Gallicanorum, cum AQVILA Polonâ & MANIPVLO Regio, quasi in vnum Connubium contracta Maiestas, dum attonitos incurrit in oculos, ita distrahit cogitationes meas, vt nec totam animo complecti lætitiam, nec oculis vniuersam colligere hilaritatem valeam. Vsque adeo dispersa in singula, Tuorum Insignium Regalium, Elogia, nullibi mens sit integra, vt multa gaudio, plura etiam admiratione amittat. Quæ quidem iactura, omnibus quibusuis pretiosis damnis, vt altior, ita & pretiosior censenda. Ne tamen æquè Regalibus AQVILIS, ac vernantibus LILIORVM Schemmatibus, sua deesse videantur præconia; Ab hâc rerum non minùs, quam temporum iniuriâ, vtraq́ue ista Florida Stemmata, vindicare

auet animus. O quantum in publica optantium vota abeo, vt (si quomodo) hæc ipsa lætitiarum, quia & amœnitatum plenissima Diagrammata, si non pro merito dissersendo æquare, saltem dicendo illorum non atterere decora, mihi liceret! Cuius enim facundia sufficiat LILIORVM, AQVILARVMVE laudibus æstimandis? aut quis per eruditum Stylum, Principem Florum, Volucrumq; Reginam, per Orationis ambitum circumducere præsumat? Quæ vtriusque sit conditionis eminentia? Quales & quam arcanæ splendorum dotes? siue etiam luxuriantis naturæ, quasi in vnum compendium, in AQVILIS inquam & LILIIS collectæ opes? Totum id non vnius res est temporis vel ingenij, vt vel nudo intuitu suspiciantur, nedum pro dignitate tractentur. Ætheris illam, quē beneficio alarum, superam vsque sub orbitam Solis, permeat Dominatricem; LILIA etiam pratorum Florumque Dominam, omnis eruditorum Schola asseuerat. Cōgenita in vtrisque elegantiâ, formâ, Meiestas; Non ad oculorum illecebram, sed ad natiuam singulorum prærogatiuam, quam à natura, siue verius Deo, AQVILA inter Volucres, LILIA inter Flores, felici sane fato obtinuerunt. Hinc Solis, AQVILA & LILIA, Filiæ esse dicuntur. Iunoni LILIA, AQVILA Ioui ritu veteri consecrata. Ista armis & fulminibus gerendis præficitur, illa Aris imponitur. Quæ duo, ab Auibus & Floribus desumpta, etsi, inter se disparata sint Symbola; in Te SERENISSIMA REGINA Tuo Regali Connubio, raro coniunctionis fœdere colligata esse video. Atque vel ideo, adeo miraculosa Stemmata à me deprædicanda. Quemadmodum & verborum honorem, ad hoc tantum obsequium, vt floride decurrat, præstandum, sperare me à suis auspicijs & AQVILA & LILIA è propinquo volunt ac iubent. Atque vtinam eiusdem vigoris cum AQVILA, candoris etiam cum LILIIS, calamum habere possim!

possim! quò in exiguâ hac membranâ, ingentia Elogia AQVILÆ MANTVANÆ, ac simul LILIORVM GALLICORVM (quia & PARIS FRANCIÆ gratiosa sunt Stemmata) auspicatissimo Connubio Regali adornando, quô citius æternitati porrigantur, inscribam!

Atque vt inde ordiar; Absit, vt extraneæ opis lenocinio egeant prædicta Tua, SERENISSIMA REGINA, Stemmata. Extra fatorum legem est, viuacitatis & viriditatis illorum aspectabilis pompa. De quorum integritate, nihil liuor, nihil edacissima sæcula vnquam delibârunt. Excutiantur Fasti publicæ memoriæ, & quid Maiorum Tuorũ virtus in AQVILIS & LILIIS, posteritati laborauerit, prudens & erudita antiquitas edocebit. Nunquam illi opus habent, cum Aboriginibus suis, Deorum Sanguini, origines suas inuoluêre, aut à fabulis, Diuinas rapere cognationes; cùm ad laudem satis semper fuerit MANTVANÆ Genti, ab AQVILIS; NIVERNENSI itidem Domui, etiam à LILIIS ortum ornatumque suum traxisse. Ergo dum cælestibus, Aquila GONZAGARVM Genus, miscet splendoribus; LILIA insimul NIVERNENSIA omnem, vetustæ eorundem Stirpis, màgis ac màgis illustrat splendorem, inuicem sibi hilaritate, mutuisque decoribus arridentes. E cælis illa; è terris ista sese simultaneè & adiuuant & ornant. En quam felicia sunt fueruntque auspicia Gentis Generisque Tui, SERENISSIMA REGINA! quæ cælestium & terrestriũ ornamenta in suum euocant suffragium, vt ita plus fulgoris & amoris ab vtrinque colligant. Et quidem ab Aquilarum generositate robur Martium; à LILIORVM integritate, animi candorem, in suæ famæ & nominis gloriam pertrahunt. Vnde compar semper fuit, vt AQVILARVM & LILIORVM ita & Tuorum Maiorum semper viuida, semper viridis amplitudo; acsi Aquilarum pulli, & LILIORVM alumni essent. Vna siquidem ea-

demque est in vtrisque, illis prærogatiua naturæ, quia & eadem in Maioribus Tuis præeminentia Sanguinis & Virtutis. Atque sic prælusit Aquila, sic alluserunt LILIA Familiæ Tuæ, vt Florentissimorum Aboriginum Tuorum imaginem tempestiuè præmitterent. Et quoniam Aquilæ, animo futuri erant, fertilitateque virtutum conspicui; In Aquilis conspici, in LILIIS depingi debuerant. Hæc ita mihi disserenti, quam aptè hic singulos Auos, Abauos, Proauosque Tuos velut in Scenam, & tanquam Aquilas è nido, & tanquam LILIA è viridario producere possem. Nisi quod ad Solem nemo facibus vtitur, sed nec vlla insinuatione opus habent, illi, qui tot sæcula floridè & fortiter viuendo exegerunt, quot & gesta heroica ediderunt. Non annis, sed virtutibus gloriam suã supputantes, vt Nepotibus quibusque seris, imitationis darent irritamentum. Quotusquisque enim Antecessorum Tuorum cum Aquilis non euolauit, ad altissima quæq; culmina honorum? aut Martium Campum cum LILIIS, non immutauit in Viridarium? vt nemo eorũ extiterit, qui non cum Aquilis volatu certare, aut etiam pari passu currere ad gloriam; cum LILIIS etiam vernare & præclarè gestis efflorescere ad laudem noluerit? Sed nec hucusque in tot Familiarum opulentissimis Nidis, Decorumque formosissimis Rosarijs adolescere desinũt. Sit satis dixisse, nec Aquilas MANTVANAS exactè numerari, nec LILIORVM NIVERNENSIVM Flores è dignitate explicari à quoquam posse. Quorum

*Sine nomine nullum*
*Decidit in terram.*

Verùm, ne vniuersim AQVILAS cum LILIIS confundere videar; quæ duo inter àëreas Alites, & terrestria florum ornamenta, vel ipsa natura discretas Principes esse, voluit. Macte igitur lætitiâ, ô calame, atque primùm solius AQVILÆ MANTVANÆ Elogia excute, Ornitholo-

thologos consule, illi te edocebunt; Aquilam quamlibet, Principis cuiusuis absolutissimi, præclaram exprimere imaginem, vt quidquid operosis hactenus voluminibus, à doctissimis quibusque, de institutione Principum conscriptum est, totum id breui compendio in Aquilâ contineri, atque vel ideo Generositatis, Prouidentiæ, Perspicacitatis, Amoris, Vigilantiæ, Liberalitatis, Gratitudinis, Fortitudinis, Magnanimitatis, & similium heroicarum virtutum, genuinum refert Symbolum. Probè id nouerant Prædecessores Tui, vnde & omnibus his, Ducalibus, inquam, ornamentis, pectore suo, acsi gemmis obrizo auro, inclusis, sole clariùs fulgere voluerunt. Hæreditario nimirum iure Serenissimi MANTVANI Duces id decoris possidebant, vt cùm essent ab antiquo genere celeberrimi, multò magìs ab animi bonis, prudentiâ, vigilantiâ, munificenriâ, magnanimitate, fortitudine, & similium ornamentorum choragio, essent celebratissimi, omnisque virtutis seræ posteritati exemplum pręberent. Ita ita Magnos quosque Principes, ad quorum multi flectuntur oculi, maxima decere, atque plurimis probitatis insignijs claros esse debere; Si perennitatis nomen mereri desiderant. Et sanè ausim iterato asserere: capaces fuisse Maiores Tuos omnium istorum decorum, vt nihil sibi arduum, nihil inuium, nihil inaccessum, more Gentilitiæ suæ Aquilæ, crediderint. Alis non indigebant, qui meritis attollebantur. Perspicax nimirum Aquila, nunquam nictante oculo, lucidam Solis Sphæram docuit eosdem intueri, nec alibi quã in arduis honorum, excelsisque Dignitatum montibus habitare. At quæ excelsitas maior inueniri potuit vspiam, quàm sit fueritvé Aquilarum MANTVANARVM, quæ in octo Paleologis Græcorum Imperatoribus, per ducentos fere annos, intemerata permansit. Per Montis Ferrati Marchiones, tredecim: NIVERNENSIVM & Retelensium Duces

D (qui

(qui & Pares Franciæ) duos; per Nuptialia Fœdera cum Lotharingiæ, Guisiæ Ducibus; cum Bauariæ, Ferrariæ, Sabaudiæ Principibus, tum verò & cum inclytis Borboniorum, Nauarræ, Siciliæ, Hierosolymæ, Arragoniæ, Galliæ Regibus, & denique cum ipsis Austriacis Imperatoribus (quæ vnica Serenissima Domus, toto lucet sublimior Orbe) contracta affinitas, mirificè tandem amplificata, in altissimum ac fere inaccessum quendam excreuit montem. Atque hæc sunt ardua, hæc excelsa, quæ amãt & incolunt Aquilæ MANTVANÆ. Nisi quod Ales quoque Polo Lechico ortus: æthera similitèr libentius incolit, quam terras, atque pro innatâ sibi Libertate vel ipsis caput inserit astris, vt ita vicinioris solis lumen hauriat, quod postmodum in terras, suæ fidei commissas, benignissimâ Serenitate spargat. Coronarium & ipsa Regum Poloniæ decus ac ornamentum. Præterquam quod candida, & illa vnica, Polonis Regibus, Nigræ quatuor MANTVANIS Principib' in Gentilitia cesserunt Stemmata. Virtus nihilominus eadem, *Roburque, fidesq;*

*omnibus vna.*

Vnde & vires, & præsidium, mutuò sibi omnes spondent. Lechica quidem propter candorem, serenitatis prænuntia; MANTVANI Alites, quia & sui doloris, luculenti testes, ac vel ideo amictu lugubri induti. Extrema nimirum fata suorum Marchionum dolent, Stirpis vltimum excidium hocce mortuali colore testantur; Et quod caput est, propter viduatam potestatem vnâ tecum SERENISSIMA REGINA mærent, Vtpote quoties sibi

*VLADISLAI dulcis Imago,*

*Et mentem rapit orbus amor, veterisq; recursat*

*Incorrupta fides animi;*

toties graui dolore & ipsa correpta, immò corde suspiria, gemitusque pectore anhelo ducere coguntur. Atque hinc illis (fatis sic alternantibus) tristis habitus, nigrorque

pluma.

plumarum erupit; Per omnia similis, Tuæ Sacræ Regiæ MAIESTATI, cui quoque, toto hoc fatali anno, fuerat atrata hæc pullaque vestis. Ecce verò, quæ Superûm est benignitas, successu rerum nouitèr firmato, atque Regalis Connubij oborto radio, & Aquilæ Gentiles, & Tu Aquilarum, SERENISSIMA DOMINA, fauente cælo, iucundè serenari incipis, Tibi enim Tuisque Aquilis

*Pronuba vultum*
*Pandit Eos, tensisque rubro super æthere flammis,*
*Illustrem roseo prætendit Lampada Phœbus.*

Atque Tu illa grandis Nigrarum Alarum AQVILA, mihi esse videris, cuius adeo ingentis mœroris, solus & vnicus VLADISLAVS REX, Solium Tumulo commutans, causa extitit, vt Magnum Sydus Poloniæ, propter ingentem vmbram, in obscurum hoc abires. Sed quoniam gaudio & dolori æqua cogendi vis inest; tolle iam ac remoue procul istas nebulas, atque candorem cum candidâ Aquilâ Lechorum, quæ Te sibi nexu perpetuo quasi iterato, hilaris iungit, ô tandem indue! Prout iam & prudens induisti, vsque adeo, vt dubium feceris, plusné acceperis vmbrarum ab annuo Tuo luctu? an lucis ab hodierno Nuptiarum die? Gaude itaque hâc Tuâ Serenitatè, & Rempublicam nostram recreare nunquam desiste. Tu verò ô Aquila æque Lechica ac Mantuana, sacro fœdere interea coniunctæ, pari passu, felici volatu, inter altissima syderum spatia, patentibus lætitiæ alis vosmet mutuo librate. Assurgite, ô fortunati alites, quid amplius hæretis? Quamcunque petere volueritis mundi plagam, via patet. EVINCITE NVBES: transite maria; vltra Triones patrios, vltra Solis Regiam excurrite: splendorem ille, non extinguet vestrum, quem perspicacibus oculis, quoties vultis, ebibitis. Orbem cum victorijs & triumphis cito obite. Nomen Genusque Polonum, qua concordes estis, vltra Astra, vel si placet etiam inter ignes cæli,

 nunquam

nunquam extinguendam memoriam eorundem deponite. Ductor Vobis Comesque viæ fiet Imperiorum Supremus Imperator DEVS.

Verùm enimuerò quo tandem cum Aquilis abij? à Regalibus nimirum Alitibus, volens nolens longiùs me passus sum vrgeri. Da veniam, SERENISSIMA REGINA, non meum, sed Tuarum Aquilarum impetum secutus, altiùs quàm destinaueram, euolaui. Verùm nec paterer adhuc me inde transferri, nisi me quoque vernantia Tua LILIA, suis cum Elogijs, ad se auidiùs pertraherent. Missis itaque laudibus Nidi Aquilini, ad Lilietum euoluendum, non otiosos conuerto oculos. O mihi gratissima, quia & formosissima LILIA! ô quantam argutiæ Vestræ, nitore suo, cumulant in corde meo ablectationem! Violentum est imperium pulchritudinis Vestræ, quæ sola amorem & conciliare, & impetrare facile potest. Flos Vester vel ipsum Salomonem prouocat de gloriâ. Sæpe ex elingui quouis, disertum faciens Oratorem. Atque cum eiusmodi floribus, summa, Sacræ Tuæ Regiæ MAIESTATI est necessitudo, imo LILIORVM cum Symbolis Tuis, strictissimum propinquitatis vinculum. Omnino hunc adeo venerandũ specie florem, par fuit Regio MANIPVLO coniungi. In quo paritèr ac in Tuis LILIIS omnia Basilica, Regalia omnia, in Solio non tumida, in Purpurâ non delicata, in Pace & bello salubria apparent. Vltra enim dena sæcula, Regalem per Sueciam, Daniam, Noruegiam, Gottiam, Vandaliam, Thronum sublimis MANIPVLVS iste obtinuit. Tot Coronis, quot Aristis onustus, felicitatis æternæ illustris nexus, vel ideo quia & FASCIA AVSTRIACA illigatus. Mithridatico illo (qui frugibus aureis constitisse fertur) longè pretiosior, neque enim frugibus, sed Regibus constat. Verissimum pacis publicæ Apophragisma, Iagellonicæ Prosapiæ Pignus charissimum, Poloni Orbis Sydus beneficum, qui suâ amplitudine &

Aras

Aras ornat, & Galeas illustrat, & Solia implet, Palladi & Bellonæ gratissimus SCIPRVS. Atque cum hoc tanto & Tali MANIPVLO, Fœdus iniuerunt Tua LILIA, ô FLORENTISSIMA LVDOVICA, à quibus par ornamentum & emolumentum insimul, & habent & accipiunt. Et pertinebat sanè ad sortem LILIORVM, ne solitaria essent, cum Sceptris, quib⁹ & orta sunt, felici Connubio vinciri. Postquam in LILIA Tua, omnes decores, tot Duces, tot Principes transfudissent, necesse quoque fuerat, vt Purpuram cum Regibus Polonis induerent. O LILIA benignissimo cæli sydere afflata! in Regibus adorata! in Virginibus consecrata, omnibus Rosis, omnibus Violis præferenda. Cælitùs data ad ornandos Cælites, in flore; ad sananda vulnera, in vnguento; ad liquandos succos, in aquâ odorâ, & si quid industria humana valet, etiam in Trophæa & Liliatos quosuis Colossos flecti non tardantur. En quot modis ludere non dedignatur lasciuiens naturâ in LILIIS, quæ & Corculum Naturæ à Theophrasto, Plinio, Dioscoride appellantur. Te nobis, Tuasque Regali Maiestate dignas dotes, ad viuum depingens, quæ vnà cum LILIIS sub Sole Gallico nata, ac tandem ad solum, imo ad Solium Lechicum translata, Vtinam non infæcunda, æternare nobiscum & velis & possis. Habent siquidem hoc peculiare, Gentilitia Tua LILIA, quod etiam à vitali radice auulsa vernare non desinunt. Viuas atque vigeas & Tu, diu auspex, diu sospes ad gloriam, à Tuis licet Gentilibus aliquantò longiùs abiueris, nisi quod eo consilio ab illis quoque partibus recessisti, vt tamen à Magni Nominis Maioribus non recederes. Qui cùm nonnisi Principes & Duces essent, in Te Reginâ Nostrâ viuunt immortales. Atque hæc Regalis Tua Dignitas, non fato Tibi aliquo obtigit, sed maximo merito. Tam enim Tibi Fortunæ Numen ignotum, quàm exploratum Dei, diuinitùs siquidem omnem supremam destinari potestatem, ex fide didicisti. Præ-

 terquam

terquam quod bonæ huius rei, Prognosticū fecerunt, insimul Tibi pridem, Tua LILIA, certissima Regibus inaugurādis Symbola. Quid enim est aliud Regius LILIORVM flos? quam Regalis Maiestatis Prothyrum, Regnorum Gallici præ omnibus, Diuinum insigne? neque enim humano consilio, sed Cælestium beneficio, in Terras delatū: Ab ipsis pene nascentis mundi cunabulis, in Moysis candelabro, Salomonisque Templo, Sanctissimis Religionibus, cælitùs consecratum donarium, quod ita amplexa est Corona Gallica, vt Regem ipsorum in Suæ Maiestatis Throno, ET IVSTITIÆ PVLVINARI (vt vocant) sedentem, sine LILIORVM Insignijs, non magìs, quam Solem sine luce, intueri liceat. Hinc vbicunq; Regia Francorum Maiestas, ius dictura constiterit, ibi LILIA radios suos in circumstātes populos vibrare protinus est necesse. Quæ calcare perinde est, ac ipsam Regiam Maiestatem deterere. Hisce Tu ô LVDOVICA Nostra (tanquam PAR FRANCIÆ) atque adeo admirandis gaudes Insignibus, & vel ideo omni veneratione habita es semper dignissima. Iam verò si insuper hæc ipsa LILIA, Oculum florum, Violarum gloriam, Hortorum gemmam, & demum omnis pulchritudinis Ectypum appellauero; Insimul Te Liliatam Reginam ô quā qualemque nominabo! Annue, quæso, facilis atque animum oculosque Tuos Regios, paululùm adhuc aduerte, & vide, quibus qualibusué fulgeas Stemmatibus, quæ laudum suarum Præconem habent, non Apollinem quempiam fabulosum, sed CHRISTVM æternam illam Sapientiam, omnis facundiæ fontem, Verbum Diuinitatis plenissimum, qui hæc ipsa LILIA, Regis Salomonis vniuersæ opulentiæ præposuit, & meritò id quidem: Nullibi etenim fæcundiori splendore luxuriâsse natura videtur, quam in LILIIS, vnde quidquid tandem delicatissimo splendoris flore suauitèr enitescit, hoc à LILIO, LILIETVM, quasi ex omni genere præstantissimum dicere consueuimus, cuius vsu nō modo

modo prophana quæuis recreantur, ſed ſacra ipſa ad venerationem excoluntur. Excelſa LILIORVM facies, Maieſtate cinctum caput, argentorum folliorum ſtriati Ordines, labia per ambitum reſupina, in medio croceis aureolis ſtantia Sceptra, quæ omnia & ſingula LILIORVM decora, vi interni humoris, lineis aureis & argenteis in circuitum ductis, vel ſuâ ſponte erumpunt. Quorum candore, nihil pulchriùs, odore, nihil ſuauiùs, aſpectu, nihil amœniùs. Niſi quis forte Roſam Sapphonis, vel Anacreontis verſibus decantatam, LILIIS eſſe parē contendat. Huic ego non multùm aduerſabor; modo LILIVM, inter flores, Regias partes obtinere fateatur; tum verò & Roſam, huic veluti Reginā, comitem adiungat. Verbo dicam Rex Regum, Flos Florum, eſt Flos LILIORVM. Sed nec eſt, cur me errori obnoxium quiſpiam faciat? ſi liberiùs iterum atque iterum aſſeuerauero, Gentilitium Tuum hoc Anadema, LILIATI Tui tam Imperij, quàm Connubij, genuinam eſſe Syntheſim, felici quâdam præoccupatione in Mores, Genium, Fortunamque Tuam animitùs influens, vt nec dici, nec eſſe potueris vnquā, niſi LILIATA MARIA: LILIGERA LVDOVICA, LILIFERA REGINA. Quod ipſum quantum addat ponderis ad numeroſum fauſtitatis Tuæ Connubium, non meâ id, voce iudicioué, ſed fœderatâ Stemmatis & Generis Tui complexione, abundè docetur. Perge itaque felix. Et acceſſionē MANIPVLI, Regis Noſtri Tuiq;, vitæ Diuinis muneribus adauge. Et quib' iam, in tàm opulentam AQVILÆ LILIORVMQ. Tuorū hæreditatem excreuìſti, nouis ſplendoribus auctam, Superi inſuper velint ac iubeant. Ipſa Te virtus Marte & Pallade obarmata, duxit in Sponſam, quia & REX MAXIMVS Optimus ceſſit in Magnum Sponſum. O Fortunata Nuptiarum Auſpicia! Affulgete, ô candidi dies, Regalibus illuſtrati Tædis. Nulla caligine in poſterum obruendi, quos ſic & MANIPVLVS floridus, & LILIA ſemper vernantia ſerenant! O felicem ter & ampliùs Maium,

ium, qui tot felicitatibus, in tantam viriditatem lætitiamq; excreuit! Ne pereas floride Mensis, ne effluas, ne labaris, persiste, dura, perenna. Cæteri pereant, cedant cæteri; Tu solus assurge, atque splendenti passu, nec immutato flore decurre. Atque hic nemo me intemperantem iudicet, dum animum meum exultabundum in tam extraordinaria desideria effundo. Plura desideraret quispiam alius, qui foret in appetendo modestissimus. Ergo non votorum, sed verborum termin⁹ hic fiat. Quis enim inter tenues calami vmbras, (Vos Duo fulgentissima Orbis decora, Solis Lunæq; adinstar fulgurantia, in vnum Connubij nexum hodie iuncta) immensæ Vestræ Maiestatis splendores comprehendere præsumat? Itaque imbellis calame iam subsiste, longiùs quò te exporrigas, non habes! AQVILÆ MANTVANÆ, quin & Lechicæ; MANIPVLVS itidem & LILIA Serenissimarum Maiestatum, Regalia Stemmata, ipsa sibi sufficiunt ad laudem. De quorum Insignium amplitudine tenuis & hæc, exilisq; dictio nostra, vbertatem interea accepit suam. Quæ omnia & singula dicta scriptauè, siquidem Reginalem non attingunt Maiestatem, silentia satiùs, quam eloquia dicenda. Nisi quod vocalis lætitia, ruptis, Eremitici silentij, repagulis, hunc quoque ingenij censum, in Sacrum Regiumq; Maiestatis Vestræ Thesaurum, deuotione ingenuâ deposuisse, non inglorium duxit. Igitur dum alia amœniora ingenia, has Charitum & Regni delicias, Tua, inquam, SERENISSIMA REGINA, florida Stemmata, amœniùs deprædicare satagunt, libens ac lubens illis campum cedo. Flectant alij sospites, quotquot & quantum volunt, Tuis, SERENISSIME REX, futuris victorijs coronandis, Bellicas Lauros, sicut & præsentib⁹ Nuptijs ornandis, Connubiales decerpant Myrtos; alij etiam Pacis oleas, postes Hederis, Altaria verbenis prætexant. Nobis Te, Tuumq; MANIPVLVM, imo Regnũ vniuersum, Tuæ Serenissimæ Consortis LILIIS coronâsse sufficiat. Quanta enim quanta est illa; tota est Gratiarum

Sertum,

Sertũ, quò & Respub. vniuersa coronari, & nomina Regũ, nullis aduersorum fatorum lituris delenda, eidem inscribi, è merito debent. Absit ergo vt Amori fictitijsq; Hortis Hesperidum, quæpiam Sacrificia ab hinc faciamus, qui Te Optimam, Maximam Reginam, in Tuis Gentilitijs Insignijs, Florum & Amorum Reginam, gratulabundi, & humillimi deprecatores veneramur. Neq; enim AQVILAS Tuas per sublime alti ætheris volantes, tenui oculorum intuitu persequi, aut LILIA Tua Regalia exili calamo deterrere, ampli lubet. Viuant illa non solùm in Flore, sed & in Prole, ô perennent! Videat longa seraq; Posteritas, & cum LILIIS re florescentem, & cum AQVILIS sese renouantem NIVER NENSEM & IAGELLONICAM gloriam. O Augusta Cælorũ Regina, cui DEVS ipse imputat genus, & suam sibi inscribi Matrem, ne vota omnium nostrûm repelle, quia Agnonimis est tua, Regina nostra; Sed & tu cælis iam recepte Diuinissime CASIMIRE, Iagellonici Sanguinis, æquè ac Cælorum, immortale Decus, Agnonimi itidem & Cõsanguineo tuo, SERENISSIMO REGI nostro, Sospes & Auspex, ne desi Fatale tuum nomẽ semper fuit Schismati, exitiale fiat quo que modo, quando in monstra hæc Rebellium Lechicu noster Hercules, non sine Te, compare suo Theseo, moue arma. Tu illorum, cælestibus tuis radijs, intende lucem, quâ tâ ad perstringendam (in circuitu omnium Regni Polon hostium) aciem, est necessaria. *Audi hæc Vota DEVS! Audi Cælites, quia & iusta & pia sunt!*

Cæterum, ne quid pleno lætitiarũ, Votorumq; nostro rum pelago desit; Pòéticos insuper subtexere placet applau sus, vt parcè hactenùs SERENISSIMÆ REGINÆ, à nobis l bata LILIA, liberior Pòésis, liberaliùs quoque, æquè in LILIORVM ac AQVILARVM Elogijs sese adhuc explicet & exponat.



2
3
1
4
6
5

# EMBLEMATICA POESIS
## Serenissimæ Vtriusque
## MAIESTATIS,
## Et Connubij, & Regalium Stemmatum, complexionem proponens.

## Emblema I.
### Vna LVDOVICA instar omnium.



*Iscordes fuerant Iuno, Cytherea, Minerua,*
*Æneadum ingressæ, Priamidumque domos.*
*At postquam LVDOVICA, adijt Palatia Regis,*
*Perpetuò vnanimes, fœdere, iunxit Amor;*
*Vtque simul iunxêre manus; Insignia iungunt,*
*Et fieri posthac, è tribus, vna volunt;*
*Contulit hinc Oleam Pallas, Cyprisque columbam,*
*Lacte rigata suo, LILIA, Iuno dedit;*
*Cumque suis, pariter dotes, Insignibus; Orbem*
*Recturæ, Regi contribuêre suas;*
*Regales, Regina Deum, largitur honores,*
*Doctrinas cerebro, nata virago, Iouis,*
*At placidos mores, animos pietatis amantes,*
*Et Charitum, & Venerum, dat LVDOVICA, decus.*

## Emblema II.
### Et Vigor, & Amor idem, Vtrisque.

*C Andidus est Ales Regni: Niger, inclyta, Gentis*
*O Lechicæ Princeps! Ales at, iste tuus;*
*Vibrat vterque tamen generosas desuper alas,*
*LILIA cum SCIRPO, fertque refertque simul.*

*Sarmatico, Lechia est nidus; sed MANTVA, nigrum*
*Clara fouet, fidus seruus vterque Iouis;*
*Sitq; color, quamuis diuersus, robur vtrique*
*Idem, frons, oculi, vigor, & vnus adest;*
*Ite citæ volucres, pennis conuexa polorum*
*Scindite, virtus vos & super astra vehat.*
*LILIA cum SCIRPO pariter coniuncta ferantur,*
*Regia, Regalis, LILIA, SCIRPVS amat.*

## Emblema III.

### Et Pacem Bellona (Regi) dispensat, & arma.

EN *Volucri Volucris, regimen se iungit ad Orbis*
*Sarmatici, auspicium (sors bona) fata canunt!*
*Altera fert gladium; puros gerit altera flores,*
*Altera conflictus, altera pacis amans;*
*Dum sese Sociam LVDOVICA Sceptriq; Toriq́ue*
*Coniungit Regi, iungit vtrumq́ue decus.*

## Emblema IV.

### Amor in melius amantem immutat.

STat *clypeo Regina Tuo, Regina Volucrum,*
*Nec tamen irato, porrigit arma, Ioui;*
*Arma quibus Danaes perrumpitur Ænea turris,*
*Gestat, amantis enim, sunt ea tela, Dei;*
*Ferrea, pectore sed medio, cor fixit arundo,*
*Fecit flammipotens, hoc quoque vulnus, Amor;*
*LILIA fert pedibus; validis spectatus in armis*
*Olim, non Iouis est, Pacis & augur Auis.*
*Aurea Pax redeat Lechico (Iouis armiger) Orbi*
*Hac regnante Deâ, factus Amoris Auis.*

# Emblema V.

## Ex igne Vita.

## Ex Lilijs Vitæ Odor.

*PHænix delicium Charitum, Venerumq; voluptas,*
*Et desiderium, blande Cupido, tuum;*
*Quem sibi prosternat nidum, ô quam sedulus instat!*
*Colligit & ramos, Balsamon ipse, tuos!*
*Cynnama, aromaticos paritèr, quos India mittit*
*Clauiculos, nomen Caryophylon habent;*
*Ramis mox se his implicat, & sibi funera condit,*
*Ad Solem pennas, exerit atq; suas,*
*Parturiente rogo comburitur; vnicus ales,*
*Dumq; perit, similis rursus ab igne redit;*
*Est quoq; Lechiadum Phænix, LVDOVICA MARIA,*
*Fulgens LILIGERIS prodita & ipsa plagis,*
*Regius huîc Ales tribuit Parasimon honoris,*
*LILIA pro nido, sed LVDOVICA dedit,*
*Castus Amor, Volucri flammas succendit amoris,*
*Subijcis atq; facem, caste Cupido, tuam;*
*Ignibus his, Regalis Auis flammatur, & ardet,*
*Exustus, vitâ nec caret ille, suâ*
*Si causam rogitas, Aquilæ isti, feruor amoris,*
*Nil nocet, incendijs hisce nutritur amor;*
*Iam post hâc sileant Phænicis fata Pòétæ,*
*Laudibus, atq; Lyris ferre, sub astra, suis,*
*Nidificant Aquilæ meliùs, queîs LILIA nidum*
*GALLICA strauerunt, vstulat at Cor Amor.*

# Emblema VI.

## Sic in perpetuum.

*GONZAGAS Aquilas, & GALLICA LILIA iungis*
*Lechiacis Aquilis, ô LVDOVICA Potens!*

*Sarmatici Regis, stipant tua, LILIA, SCIRPVM,*
*Annulus atq; auro iungit vtrumq; decus;*
*Sic in perpetuum, Regum sint fœdera Sacra;*
*Aeternus, Socio robore, nexus eat!*
*Fata iugant Aquilas Aquilis, & LILIA SCIRPO,*
*Teque iugant Regi, Fata DEVSQVE simul.*

## Emblema VII.

### Dissita iungit Amor.

*COgnatas Heròûm animas felicis in Orbem*
*Nectit amicitiæ; id dextera iuncta notat;*
*LILIA cum SCIRPO deuinxit tessera Amoris,*
*Annulus; Est Regum, par quia Connubium;*
*Hinc veluti geminæ dextræ, & duo Stemmata secum*
*Iuncta manent, animæ nam coiêre duæ;*
*Et Sponsi & Sponsæ, sic, Prosapia alta virescit,*
*Vt viret hic SCIRPVS, LILIA vtque virent.*


---

# FLORILEGIVM EPIGRAMMATVM,

## Cum suis Allusionibus ad Nomen, Mores, & Insignia Serenissimæ REGINÆ.

Regi-















# Reginam Regalia Stemmata produnt.



*Vem peperit Alcmena Ioui, Deus esse nequibat,*
*Insita mortalis, semina, Matris habens;*
*Hunc Dijs, vt Consors fieret, Junonis ad vber*
*Applicat, ipse bibit, lac premit ille simul;*
*Elicitum hinc sponte fluit, quô lactea cæli*
*Semita fit Superis, quâ patet aula Jouis;*
*At verò qui Subiectos defluxit ad agros,*
*Progenuit purus, LILIA pura, latex;*
*Naturamq; suæ retinent Altricis Alumni,*
*Quâ turget Genitrix, ambitione tument;*
*Vertice quando alto producuntur LILIA, regnant,*
*Floribus atque aliis, imperio esse volunt;*
*Ambitio felix, pariterque vtrinque beata,*
*Jlla regunt flores: Juno regitque Deos;*
*LILIA fert Regina simul, pro Stemmate, Lechûm,*
*Symbola digna, sui Nominis, illa gerit;*
*Tessera sunt Regni, Regum ac Anademata; flore*
*Nonnisi Regali debet & illa coli.*

## Serenissima Regina LVDOVICA MARIA Rosarum & Liliorum Pancarpium.

L*ILIO-Narcissus LVDOVICA es, Nympha Lechorum,*
*Per tua membra, Rosas, vndiq; spargit Amor.*
*Spiritus iste tuus, roseum diffundit odorem.*
*Pro verbis loquitur, lingua diserta, Rosas.*
*Et video, quocunque tuos deflectis ocellos,*
*Tanquam sub gemino, surgere sole, Rosas;*
*Et rubor exornat Roseus, faciemque, genasque,*
*Et Roseus, toto vernat in ore, color;*

*Jnque*

*Inque sinum gremiumq; Rosas prope colligis omnes,*
*Dextra fouet multas, ipsaq; læua, Rosas;*
*Ergo Rosis cum tota fluas, cur LILIA gestas?*
*Ex GALLICANO Climate missa, refer?*
*Accipe, quisquis me Reginam nouerit esse,*
*Noscat habere idem, Stemmata Regifica.*

## In Serenissimâ Reginâ LVDOVICA MARIA, Amori & Candori omnia consecrata.

*LILIA deliciis hominum cataplasma ministrant,*
*Gaudet & vnguentis delitiosus amor;*
*Candidulis albescunt hæc folijs, candore corruscat*
*Verus Amor; fragrant LILIA, fragrat Amor;*
*Mollis Amor, sunt mollia LILIA, votus Amori*
*Flos hic; Amor flori, votus & ipse, suo.*
*Hoc LVDOVICA suo est Regi, quam LILIA adornant,*
*Et Regno & Regi, Stemma ab amore datum.*

## Pietas Serenissimi Regis, nonnisi LILIIS coronari debuerat.

*QVo caput Inuicti Regis perfunderet, vnguen*
*Remigio, Æthereum; Sacra Columba tulit;*
*Quodsi Mæonio quicquam fas credere Vati,*
*Porrigit Ambrosiam, pura columba, Ioui;*
*At Tibi, quem Superis æquat Suprema potestas,*
*Quemq; Ioui confert, summus honoris apex.*
*Quis dabit vnguentum? dulcem, ambrosiamq; vicissim,*
*Aut redolens nectar? LILIA sola dabunt;*
*Quô Tua se Pietas, totum diffundat in Orbem,*
*LILIA pro Ambrosiâ, dat LVDOVICA Tibi.*

## LILIVM florum, LVDOVICA Polonorum Regina.

LILIVM odore Rosas vincit, flos æmulus albo
Lacti, parq; Niui, par nitidisq; polis;
Dij cuncti hunc optant, calyces diffundit in orbem,
Celsus, & auratis ille nitetque crocis,
Denticulis se per gyrum flos iste coronat,
Ad laudem hinc, Charites prouocat, ille suam;
Omnibus excellens, vna hæc, hortensibus herbis,
Principis hûc dotes, ingeniumq; datum;
Flos insigne Ducum, Regum, Sceptrique, Thronique,
Hæc Regina Lechûm, Regia signa, refert;
GALLICANIS olim vernantia LILIA pratis,
Ast nunc Sarmaticus, LILIA, campus amat.
Lacte, Niue, atque Rosis meliùs stellisque coruscant,
Principe cum Dominâ, splendidiùsque micant;
Juno Parens & Amica Venus secedite, prorsus
Exsuperant vestras, LILIA nostra, Rosas,
Candorem roseum, atque niuis, lactisque nitorem,
Nam LVDOVICA potens, vincere sola potest.
Lechiadum in Regno veluti Astrum, quando nitescit,
Cælicus hûc, cedit Posphorus ipse, locum.

## Poloni Regni cum MARIA LVDOVICA, Venetorum adinstar, cum suo Adriatico Mari renouata Desponsatio.

ÆGyptus fæcunda colit pro Numine Nilum,
Et Xanthi gelidas Phryx veneratur aquas.
Cydnus apud Cilices, Diuino fulget honore,
Insubres Astris, inseruêre Padum;
Festa niger celebrat, fluuij cognominis, Indus,
Romanos Tybri sacrificâsse ferunt;
Quemque bibit, Superis accenset, Persa, Choaspem,
Estque ipsis etiam, Styx reuerenda, Dijs;
Vnius, vna Dei cultrix, sed terra Polona,
Sinceræ laudem Relligionis habens;

Absit

*Absit* VISTVLÆ *aquas se complectentis adoret,*
*Nympha alia est, grates, cui Lechus vltro refert;*
*Tu* MARIA, *es placidum* MARE, *Fulgens Nympha Polona.*
*E* GALLICANO, *ceu Venus, orta Mari.*
*Virtute ac formâ excellens, Heroidas æquans*
*Quasuis ingenio, nobilitate Deas;*
*Vandalici, Regina, Maris, Tu Nereis; Orbi*
*Peliden Arctoo, mox paritura, nouum.*
*Hinc nomen sortita Maris, Noua Nympha, tulisti,*
*Talem Te siquidem Lechicus Orbis amat.*
*Huic Arrham vt Sponsæ prabet, de nomine Sponsi,*
*Qui Tibi dat casti, pignus Amoris, Amans.*
*Accipe tranquillo, Regalia munera, vultu,*
*Castaque Regali, dona reconde, sinu;*
*Accipe vota simul, quæ gratans spondet in æuum*
*Atque Tibi, vt* MARIÆ, *Lechia mittit,* AVE;
*Et quia non* MARIA *es solùm, sed* DIVA MARINA,
*Sarmatico, opto, diu, perge præesse Mari.*

## Serenissimæ Poloniarum Reginæ
## LVDOVICÆ MARIÆ
## Nomen ominum plenissimum.
## Nomina cum Rebus, quàm bené conueniunt.

N*Omina Magna dari, Magnis à Numine Magno,*
*Nomen id, euge, Tuum, sat* LVDOVICA *probat;*
*Nomen & Omen habes, formam mentemq́ pudicam,*
LILIA *sunt Gentis, Symbola pura, Tuæ;*
*Candor inest labris, animus Tibi pulchrior; Vna*
*Sisque licet, gemino, frons Tua, sole micat;*
*O quot Tu Charitum vna* VICES, *pariterque Dearum*
*Imples! vt possis dicere,* LVDO-VICES;
LVDO-VICES LVDOVICA *refers; Ridet Venus; Obe*
LVDE *meas, inquit, Tu* LVDOVICA, VICES;
*Regnorum Regumque* VICES, *quæ ludere nôsti,*
*Olim Sarmatico, nupta Dianna, Ioui;*

*Rursus Lechiaco cedis Lauinia Regi,*
*Sic iterum* LVDIS, *Tu* LVDOVICA, VICES.
*Ludere perge* VICES, *mundi sunt omnia ludus,*
*Sic* LVDAS, *si vis, vincere quasque* VICES.

## Occasione Serenissimæ Reginæ, Regni Poloni, & Coronæ Gallicæ, perpetuus amicitiæ nexus.

*TErrarum Princeps, & rerum Gallia culmen,*
*Jn quam, translatum est Persidis omne decus;*
*Græcia cui collum submisit prona superbum,*
*Cui dedit & Macedûm gloria victa manus;*
*Cui totum Imperium Romana potentia cessit,*
*Subdidit, & fasces Curia prisca suos;*
*Jn Regnum quoque Lechiadum congessit honorem*
*Magnum, quando dedit, Te* LVDOVICA, *Lechis;*
*Sed simul ingentes à nobis sumpsit, honores*
*Gallia; facta Tuo, clarior Imperio;*
*Faxo, Te multum debere illi; sed & ipsa fatetur*
*Jngenuè, quod plus, debeat illa Tibi;*
*Jlla dedit siquidem Magno Te Principe natam,*
*At nunc Reginam, Gallia Temet, habet.*

## Serenissima Regina, Nomine & Re MARIA.

*MAgnorum Regum Coniunx, geniale, verendum*
*A* MARIA *nomen, Magna Virago, tulit.*
*Jngens Nomen & Omen habet, Regina Lechorum,*
*Fata æquans, factis, nominis ipsa sui;*
*Vt* MARIA, *est Cynosura poli, splendorque, iubarque,*
*Sic Regina Lechis, est Cynosura, suis;*
*Sydera Diuiparam Matrem duodena coronant*
*Sedibus æthereis, queîs decorata micat;*
*Tempora, Reginæ nostræ, diademata bina*
*Ornant, & duplex Regius ambit apex;*
*Jnsuper Astra quoque illius sunt, inclyta Virtus,*
*Et pura Integritas, & Pia Relligio;*

Ergo

*Ergo Tuis gaude Titulis, non Nomine tantum,*
*Quam* MARIAM, *Lechiæ Regio magna colit;*
*Nominibus quod vtrumque tenes, sic spero futurum,*
*Si modo Nominibus, Nomen & Omen inest.*

## Mulierem fortem quis inueniet. *Prouerb. 31.*

*MIllibus è multis, Salomon vix comperit vnam*
*Matronam, Titulis, & Pietate grauem;*
*Teque Nouus Salomon,* CASIMIRVS, *comperit vnam,*
*Quæ Princeps Mulier, nomine reque fores;*
*Accensis quamuis Orbem scrutêre lucernis,*
*Diogenesq̃ suam det licet ipse facem;*
*Quæ Tibi sit similis, nulla est,* LVDOVICA, *Virago,*
*Quæque Tuas valeat sustinuisse vices.*
*Plurima cum possis Rex, ast reperire secundam*
*Non potes; est Phænix, nam* LVDOVICA *Tibi.*
*Gallica, paciferum, in Lechiâ, cuî* LILIA *nidum*
*Strauerunt, Violæ, Cynnama, cumque Rosis;*
*Hinc illi suaues morum, & Pietatis odores,*
*Queîs perfusa oleant, Lechica Regna, diu;*
*Viue igitur Felix Princeps Regina, vigeque*
*Tu Phænix Regi,* LILIA, *Tuque Lechis.*

## Stemmata, vt plurimum Virtutum Insignia.

*EMinet insignis Pietas, Insignibus ipsis*
*Præmonstrata Domus, prôh* LVDOVICA, *Tuæ!*
LILIA *cana geris scuto, velut altera Iuno,*
*Mentis & ingenij Symbola clara Tui;*
*Et genus, & virtus, Orbem, Tua, replet vtrumque,*
*Nec Tua, iam nostræ, gloria, laudis eget;*
*Quod superest in vota iuuat conuertere laudes,*
*Inque preces rursus, vertere vota iuuat,*
*Euge diu, demissa polo, cupiaris ab Astris!*
*Queîs pignus pro Te,* LILIA *sunto Tua.*

## Serenissimæ Reginæ
## Geminum Nomen, Duorum Regnorum Omen.

BIna Tibi, Dea dat, Nomen, LVDOVICA, MARIA,
*Nec caret effectu, quod voluêre Deæ;*
*Namq́* VICES LVDIS, MARIAMQ. *imitaris & ipsa,*
*Ex vtroque simul, credideris esse Dea;*
*Te fortem,* LVDOVICA, *facit, Dominamq́ Potentem,*
*Ast* MARIÆ *pietas, Te probat esse piam;*
*Bis meritum Diadema refers, duo Regna capessis,*
*Magna Niuernanæ, Nympha Decusq́, Domus;*
*Sic geminam effundis, gemino sub nomine, lucem,*
*Duplicis vt Regni, Te Dominam esse probes.*

## Illustre Nomen Serenissimæ Reginæ perpetuum Lucis ærarium.

TV MARIA *haud voce tenus, nec nomine tantum,*
*Sed factis etiam, iure vocanda venis.*
*Es* MARIA, *illustrans Regnum, Regemq́ue vicissim*
*Exhilaras vultu, sed pietate magis;*
*Perge auspex inferre Tuis noua lumina Lechis,*
*Spondet id Integritas, id Pietasque Tua.*

## Luminum & Florum, in Serenissimâ Reginâ, mutuum Consortium.

A MARIA *quæ nomen habes; à luce vocari*
*Rectius o Princeps, tu* LVDOVICA *potes;*
*Nempe tuum, radijs ipsis, vel lumine Solis*
*Clarius est multò, feruidiusq́ iubar;*
*Et quia bis gelidum Tu es transportata sub axem,*
*Dissoluet glaciem lux Tua, Sarmaticam;*
*Si tamen ad* MARIÆ *nomen, Tua* LILIA *iungis,*
*Hortus es, ô florens, & Dea Flora Lechis.*

Nomi-

## Nominis MARIANI affinitas, Beneficijs & præstandis & accipiendis proxima.

*VT factis imitère Deam, tibi Fata dederunt,*
*Christiparæ Matris, Nomina Sacra, Deæ;*
*Hæc se* MAGNIFICAM *tùm re, tum nomine præstat;*
*Et tua Magnificum, Vox Pietasq́ sonet;*
*Vtq́ queat nostro citiùs succurere Regno,*
*Agnatam hanc Diuam, Tu* LVDOVICA, *rogâ;*
*Et quæ Reginam fecit, simul illa Parentem*
*Te faciat, Diuam, Tu* LVDOVICA, *pete,*
*Et faciet; si non cessas in vota precèsq́,*
*Nam cognominis est, Virgo Beata, Tuâ.*

## Et Mores & Nomen Serenissimæ Reginæ, floridum Annum Polonis ominatur.

*IN clypeo gestas Gallorum* LILIA *Princeps,*
*A* MARIA *rursus nomina Sacra trahis;*
*LILIA pura satis per se, nomenq́ vicissim;*
*Nomen, & illa simul candidiora Rosis,*
*Regia Maiestas, castum cor, Gentis origo,*
LILIA *sunt;* MARIÆ, *sed Rosa, nomen erit;*
*Este procul tristes hyemes,* LVDOVICA *Polonis*
*Perpetuam æstatem, Ver Roseumq́ dabit.*

## In Serenissima Reginâ, Nominis & Generis rara complexio.

*PRincipibus Summis, Ducibus, quin Regibus orta,*
*Integritate omnes, nominibusq́ refers;*
*Diceris atque ideo merito* LVDOVICA, MARIA,
*Numine ab æthereo, nomen vtrumque trahens.*
*Absit bina Tibi, à cæco sint nomina, casu,*
*Aut Generis splendor, quô decorata nites;*
*Gloria se Tibi tota dedit, nil quærimus vltra,*
*Et Genus & Nomen,* LILIA *pura notant.*

*Pro consanguineo, quæ gestas, Stemmate, prorsus*
*Cuncta hæc terrestrem, Te faciunt* MARIAM;
*Prædicat id de Te, clarum Nomenq; Genusq;*
*Qualisq; es, talem, Lechia Teq; colit;*

## Virtutum æquè ac Regnorum Auspicium, Serenissimæ Reginæ, à Nomine MARIA, cælitùs destinatum.

*CVm Tibi sint intus, dotes, quæcunque Dynastis*
*Insunt, Regali es digna sedere Throno;*
*Justitiæ Tibi zelus inest, deuotio feruens,*
*Feruidus, & Sanctæ Relligionis, amor;*
*Cura Tibi rerum solers, vigilantia perpes,*
*Irrupta integritas, inuiolata fides;*
*Os cunctis blandum, miseris affabile semper,*
*Auxiliis inopum, semper aperta manus.*
*In summo; Pietas, Candor, Clementia fulget,*
*Inter virtutes, ô* LVDOVICA, *Tuas;*
*Auspicium hoc* MARIÆ *Nomen, Tibi Magna Virago*
*Vltro dedit, titulos, Regnaque bina dedit.*
*Imperiale Tibi est MARIÆ, ac Venerabile Nomen,*
*Nempe Tui, Numen, Nominis, Author erat.*
*Si quod es, esse velis, MARIÆ non segnis amatrix,*
*Cum MARIA fies, vita salusque Lechis.*

## Gallica Serenissimæ Reginæ LILIA, Noua Regni Poloni sunt Sydera.

*SChemate quæ niueo tria* LILIA *candida fulgent,*
*Sydera sunt Regni, Sydera suntque Tua;*
*Ausim ego, tres Solis, Veneris, Iouis esse Planetas,*
*Quæ Tua Maiestas,* LILIA *trina vocat;*
*Ergo cum veluti Stellas, Tua* LILIA *dico*
*Teque Polonorum, Magna Regina, Polum.*

## De tempore, quo Pallas Gallica, Marti Sarmatico, matrimonio iungebatur, ad Serenissimam Reginam.

HOrrida cum bella ingruerent, Sponsalia tecum
Rex CASIMIRVS init, tractus amore Tui.
Rursus & instaret cum Bellum atrocius, vrget
Idem Connubium, vt fœdera iungat Amor.
Ast vbi iam litui cecinerunt classica rauci,
Agminaque, agminibus, opposuêre Duces.
Sub strepitu armorum, Rex Magnus, fœdera iungit,
Quid nisi, Tu Pallas, Rexque Gradiuus erit?

## Vnâ, Maiestas & Amor, iam, sede, moratur.

IMperij qui iusta negat connubia, nescit,
Quidué Throno, autué Toro (sors mala) pacis inest;
Dimidium solij perdit, viduata potestas,
Alleuat at rerum pondera, compar amor;
Talis amor thalami est, qui pectora iungit vtrinque,
Castus amor, Concors Gratia, Pura Fides;
Regnorum Regumque vices, Amor hicce maritat,
Atque Thronum, atque Torum, iungit & ille simul.
Et ne multa roges, CASIMIRI Regis amores
Conspice; cor cuius Regius vssit amor.
Et Fasces, & Cor casto submittit amori,
Consociat quando, Te LVDOVICA, sibi.
Ergo Maiestatem & Amorem Sede morari
Vnâ, qui negat, is, prôh animi impos erit!

## Serenissima Regina, & à Stemmate, & à morum suauitate amabilis.

O Quibus illiciis nos captas, Lechica Princeps!
Grandibus & signis, grandia corda rapis!
Vno iuncta simul video, Tria LILIA, scuto,
Regalis Genij, nobile Pegma, Tui;
Sic tribus à Superûm donis, TERDONA vocanda es,
Vtpote quam sequitur Gloria, Fama, Decus.
Nimirum hunc sequitur locuples opulentia Florem,
Magnanimum Pectus, Grande Cor, Ampla manus.

*Quæ tria; LILIA sunt, queîs Tu LUDOVICA nitescis.*
*Et compar flori, niteris esse, Tuo.*

Fæcundam Polonis Messem, Mantua spondet,

S*Tirps* NIVERSI, *ex Elysijs, translata viretis,*
*Sarmatici, interea planta beata, Soli;*
*Formosos, prægressa comis & vertice, flores,*
*Vernat sub gelido, planta beata, polo;*
LILIA *cumq; illâ Vernant Regalia, tota*
*Instauratori planta dicata* DEO;
*In Paradisiacis prorsus generata rosetis,*
*Ex quo adeò suaues, halat odoris, opes;*
*Flos florum* MARIA *est; hæc ipsi Nominis author,*
*Quâq; rubente rubet, quâq; virente viret,*
*Hinc illi vernans Facies, candorque pudicæ*
*Mentis, & hyblæis, Gratia mista, rosis.*
*Floret & augusto, Regina Modestia, vultu,*
*Maiestas humeris, fragrat in ore lepos;*
*En quam fæcundis virtutibus Inclyta Princeps,*
*In Lechico fulget, Florida Diua, Throno.*
*Pulchra* IAGELLONICÆ, *reuirescit adorea, messis,*
*Hâc Regnante Deâ, Sarmatia hortus erit.*

Etiam in Poloniâ
------ Inscripti Nomina Regum
Nascuntur Flores. *Virgil. Eglog. 3.*

LILIA *sunt flores: Quales Regina Lechorum*
*Pro Natalitio Stemmate, picta gerit.*
*Floribus haud nocet his Aquilo, vel turbida brumæ*
*Regna, colore nouo, semper odore nouo.*
*Horrida gramineæ populatrix procul esto iuuentæ,*
*Arctoæque Niues cedite;* LILIA *sunt,*
*Intemerata Lechûm Reginæ, inscribenda coronæ*
*Sarmaticæ, Regi,* LILIA *grata, suo.*
*Insita sunt illi Regnorum Nomina, Regnis,*
*Floribus exque istis, Regia Sceptra fluunt;*

*Non generant similes Pæstana Rosaria flores,*
*Nec simili Pharius, flore superbit, ager,*
*E* GALLICANIS *vernantia* LILIA *pratis,*
*Quæ nunc Sarmaticus,* LILIA, *campus amat;*
*Vt meliùs crescant Lechæum rursus in orbem*
*Transplantata, nouas emeditantur opes.*
*Auguror Augustos parient noua* LILIA *flores,*
*Atque nouos fructus,* LILIA *pura dabunt.*
*Augur id, ô spondet Tuus Ales,* MANTVA, *nobis,*
*Qui fuit armorum, fiet Amoris Auis.*

## Serenissima Regina, non Aquilarum tantum, sed Corde etiam Polonorum, gestari dignissima.

D*Iuitibus quondam ramis, tulit aurea poma.*
*Hortulus Hesperidum, Syluaq́; Persephones;*
*Inq́; suis seruat pariter formosa viretis*
*Quæ legat Hippomenes, aurea poma, Venus;,*
*Te pariter* LVDOVICA *Potens argentea stipant*
LILIA, *Stemma simul,* LILIA *trina grauant;*
*Nomina magna grauant, onerantque vocabula magna,*
*Et grandes Tituli, non leue pondus habent.*
*Neue grauent, Aquilæ dabimus gestanda, Lechorum,*
*Pectore; Auis Lechiæ, Stemmata, Teque ferat;*
*Hoc faciendum Amor in Dominam suadetque iubetque;*
*Vt quot onus fuerat, tempore fiat Honos.*

## Serenissima Regina, Noua Pandora Poloniæ.

Q*Vale Palæstini fundunt Opobalsama rami,*
*Et reddit, verno tempore, cultus ager;*
*Qualiter herbosis spirant violaria campis,*
*Albaque purpureis, Lilia mixta, rosis.*
*Sic Tua Sarmatico non tantum fragrat in orbe*
*Gloria, at Eois, Occiduisque plagis.*
*Ex quo Regalis Tu facta es Sponsa, duorum*
*Regum Sarmatiæ, facta simulque Dea es;*

*Quin noua Pandora, aut etiam Berecynthia Mater,*
*Cuius sic, duplex, corda maritat, Amor.*

## Et Genere & Stemmate, nemini in Europâ Principum cedit.

*IVlia quâ se cælitibus, quâ Claudia Diuis,*
*Flauia, quâ Superis, se domus inseruit;*
*Austria quâq; potens, quâ se Borbonia miscet*
*Numinibus, sese gens quoq; nostra beat;*
*NIVERSI Princeps Regumq; Ducumq; propago,*
*In se quæ centum, continet vna, domos,*
*Auspex Sarmatico Regi sua fœdera iungit,*
*Connubioq; pari, pectora iungit amor,*
*Dotales, GONZAGA, Aquilas, nostratibus auget,*
*Et cupit ornari Desmate Leche, tuo;*
*Aequales tandem vt meritis ferat illa decores,*
*Assuetum Imperijs, tollit in astra caput.*

## Thronus & Torus, inter Mauortia arma, Pacis otia parturiunt.

*QVæ noua, Prôh Superi! ferus excitat arma Gradiuus!*
*Horrendum reboant tympana, sistra, tubæ!*
*Flumina, telorumque seges succrescit & hastæ,*
*Paßim bella tonant, indomitusque fragor.*
*Attamen inter tot motus, Bellona Sarissas*
*Deponit validas, otia pacis amat.*
*Claßica permiscet Citharis, Thalamisque Trophæa,*
*Et Lituos calamis, prælia cumque choris.*
*Quin etiam exponi Geniali turre micantes*
*Ipsa faces gaudet, dulcisonasque Lyras.*
*Jußit id impauidum pharetrati Numen Amoris,*
*Vt præsto fieret Connubialis Hymen.*
*Dulcis Hymen, Hymenæus Hymen; dum Serta Rosarum*
*Annumerat lucris, Martia Diua, suis.*

*Bello-*

*Bellorum genitrix se iunxerat ante Gradiuo,*
*O* MARIA*; at Nubit, Rex* CASIMIRE *Tibi.*
*Cumque illâ, pacem Mauors dispensat & arma,*
*Pacis & armorum, fert* LVDOVICA, *Vices.*

## Votiuum Carmen, pro incolumitate Serenissimæ Reginæ, ad Diuam Claromontanam.

I*Mmedicabilibus morbis* MARIA *mederi*
*Sola potest, vitæ, reddere semineces;*
*Namque illi extinxisse dedit, flammasque rogales,*
*Funereasque faces,* CHRISTVS ἀλεξίκακος.
*Tu quoque macte animo! veniet Regina Lechorum,*
*Hâc ipsâ à Diuâ, vita salusque Tibi;*
*Saltem quæ* MONTI NOSTRO CLARISSIMA *prostat,*
*Diua; Patrona Tua est, Nominis atque Tui.*
*Jlla Tibi spectanda; Salus amissa redibit,*
*Quæ Medici nequeunt, ista Virago dabit.*
*Viue ergo incolumis Regno, Regique, Lechisque,*
*Sospite Te, Regnum,* REX *quoque sospes erit.*








REX EX VTROQVE.

STRINGITVR, AD BELLVM.



ERIGITVR, AD TRIVMPHVM.

NVLLA SINE ARMIS, VICTORIA.





# Serenissimo & Potentissimo
# JOANNI CASIMIRO
## POLONIÆ & SVECIÆ REGI,
## NEC NON
# LVDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ,
## POLONIÆ & SVECIÆ REGINÆ.
## Inter Augustas, Vtriusque Maiestatis Nuptias, Regio-Mantuanus Applausus.



*Ierios circum latices & mæsta, sedebant*
*Gorgonei, tristes Musæ, monumenta, Caballi;*
*Non lauro insignes, nec cinctæ tempora Sertis,*
*Incompto capite omnes, prorsus sparsa comarum*
*Cæsaries, tetricæ, feralia plectra, Sorores*
*Tendebant, lætaque olim, viridantia Cirræ*
*Mæstissimo implebant vlulatu; culmina, Nymphæ;*
*Cuilibet & gemini fuerant duo lumina fontes,*
*Auctus vt his abeat lachrymarum, fontibus amnis,*
*Qui tumulũ* REGIS *VIADSLAI perpluat; Eheu*
*Sors violenta nimis, nimium tristissima rerum*
*Effigies, rigidiq́, tenor tristissime Fati!*
*Tandem Maxima Musarum talem edidit ore*
*Vocem; Prôh Lechicis Magnus* VLADSLAVS *ab oris*
*Abscessit, splendor Lechiæ, tutela, salusq́!*
*Hinc nobis gemitus, Lachrymæ, suspiria, fletus,*
*Hoc querimur, raptum Regemq́ decusq́ Polonum,*
VLADSLAI *ad tumulũ; (Magnus dolor vrget amantes)*
VLADSLAE, *si quis Regum maxime, funere acerbo*
*Ergo cadis? Dolor! heu dolor ingens! omnia tecum*
*Heu periêre simul Regni decora, omnis ademptus*

Flos Regno, belli tristis fragor omnia complet,
Voluitur & tragicos malesana Cupido per æstus
Armorum, omnia cæde madent, furor omnia miscet:
Consilio hostiles, virtute, animoq; Phalanges
Fundere qui possit, telum contraq; rebelles
Stringere, nullus adest; Hæc nos hæc cura remordet,
Quotquot Pierio residemus culmine Nymphæ.
Talia dum Musæ geminant Heliconis ad vndas,
Luctus vbiq; sonat, valles, collesq; supini,
Antra, nemusq; dolent; Ingens stat luctus vbique.
Ecce serenato, geminus volat, æthere, Nuntius,
Alter Apollo fuit, fuerat Cyllennius alter,
Ora humerosq; Dij, quorum Cyllennius alis
Candet, & exornat niueas penna aurea plantas,
Aurea purpure amq; simul subterminat vestem
Fibula, odorifera circum radiabat abolla,
Atque loco virgæ, candentia Lilia dextrâ
Prætulit, Hesperijs ô multo candidiora Rosetis!
Alter Nuntius, auricomo quoque tectus amictu,
Cum Citharâ, dulci, aureolam, radiante sagittâ
Gestabat manibus, rutilo super ambo galero,
Ambo Dionæâ præcincti tempora Myrto;
Obstupuêre Deæ, lachrymas gemitusq; nefandos
Præcidêre suos, nituêre Heliconia prata.
Tum sic melliflui natus facundus Athlantis
Ore inquit: Cessate queri, cessate Camenæ,
Læta fero mœstis, fero læta, attendite Musæ.
Maximus Æthereæ cuius sum Nuntius aulæ
Arbiter, æterno fatorum ex ordine, lætas
Spes reuehit Lechis, reuehit solatia fessis
Cladibus, & bello; redeunt noua gaudia Lechis,
En iam victrices felix coniunctio gentes
Copulat, vnde salus Patriæ est speranda labanti,
Pignora connubij, fient certissima pacis
Fœdera, telorumq; seges decrescet in almæ
Pacis adoreas, cupidus sua bella Gradiuus
Cæpta retractabit, quæ circinat ira rebellis,
Asperat aut quas ab rabiosa proteruia clades!

Ne quid-

Ne quidquam pharetras, & spicula, missile telum
Kozacy expedient, furiosos linquet Erynnis
O tandem, belliq́ue furor! Nil mille procaces
Insidiæq́ doliq́ue, (fremunt licet,) vsque nocebunt.
Pacatus Mauors, ciuilia damna, ruinæ
Eximet, & purâ solito clementior hastâ
Prodibit, facietq́ tubas & cornua rauca
Esse procul, contos, strictos gladiosque, sporosque
In iugulum Patriæ, comitata securibus ira
Cessabit, Bellona suos extinguet & ignes.
Laurea paciferæ, reuirescent pignora, Oliuæ,
Aurea Lechiacis habitabunt sæcula terris.
Augur ego, hoc spondent vernantia LILIA, dextrâ
Quæ fero, Regalisq́ simul de Stirpe MANIPLVS,
Tot Pacis spicis radians, quot surgit Aristis,
Victrici SCIRPO candentia LILIA nectit,
Fœdere connubij, ipse DEVS.
Talia iactanti, subiecit talia Clio;
Mira refers, ô Nate Iouis, lætissima pandis
Nuntia, quæ Magni & solatia maxima luctus
Credimus; At quisnam hic Heros? quis dicito Sponsus?
Sponsaue, quæ? quibus iniecit noua vincula virtus?
Et queis felices promittunt fata fauores?
Signa quidem scimus Regalia, signa Trophæis
Quæque virent, gazis fæcunda, & diuite cornu;
Nosse auet ast animus Sponsos, quâ stirpe sub auras
Æthereas illos produxit Iuppiter æquus?
Quoue polo nati, quos sic sors æqua secundat!
Tum Maiâ genitus; vestri olim gloria cætus,
Vestri cura chori, Vestri, CASIMIRVS, Amores;
REX Magnus, similis Diuis, genitusque Deabus.
Magna sedet vultu, cum Maiestate venustas,
Et grauis Augustâ pellucet gratia fronte.
Immortale decus, decorat, famæque perennis
Heroem splendor, Maiorum & nomen honestat.
Regia forma illi, Regalis totus & ipse
Princeps, Magnus Amor Regni, splendorq́ iubarque,
Lechicus Alcides, Europæique coluri.


Orbis

*Orbis Hyperborei clarus Sol, gloria Lechûm*
*De* IAGELLONICA *prognatus stirpe* MANIPLVS;
*Desmate Regali, stringens Diademata bina;*
*Aurea lux, magni nitidissima stella Trionis,*
*Auspicio fausto, Imperiis præfectus auitis,*
*Purpureos inter Reges, cui flagrat honesto*
*Pectus amore, cui Augusto sub pectore Mauors*
*Pulchra rudimenti conclusit Schemmata, cuius*
*Spicula victrices Lauri, Palmæque virentes*
*Arma coronabunt.*
*O quantus Lechico fulgebit in Orbe! vetustos*
*Cum* CASIMIROS, *noua per momenta recentes,*
*Factorumque notas reuocabit! Marte Secundo*
*Gesta Patris referet, virtutis imagine viuâ,*
*Et* VLADISLAI *Fratris transmittet, in, æuum*
*Nomen,* IAGELLONIS *opes, roburq́ Gradiuum,*
*Longa hunc Posteritas & secla sera stupescent.*
*Hoc Gentilitium illi spondet Stemma,* MANIPLVS,
*Vt numeret fastos, per Regia facta, Trophæis*
*Diues, & æthereo figat sua gesta Colosso.*
*Talis hic est Sponsus, tranquillæ Pacis honore*
*Præclarus, belloque simul, qui Sospes & Auspex*
*Connubio Lechis creat, & noua gaudia cælo;*
*Reginam quando, Lechicis sibi iungit in oris,*
*E* GALLICANO *cæloque soloque profectam,*
*O quantum hæc quoque* DIVA *Lechos recreabit! odoris*
*Stemmatibus fulgens, cûi candida* LILIA *gentis*
*Dant decus, & roseis afflatibus arma serenant,*
LILIA *Sarmatico multum dilecta Trioni,*
*Cumque suis* AQVILIS, *quas Martia* MANTVA *mittit*
*Orbi Lechiadum, vt renouet noua fœdera secum.*
*Quare age docta cohors, funestam linque Cupressum,*
*Non decet Aonias hodie lugere cohortes,*
*Promite plectra manu, Genialia promite metra,*
*Et* SPONSVM *&* SPONSAM *Metricis recreate susurris.*
*Dixit, & arrisu leni, mærore solutæ*
*Castalides, vultum attollunt: Nam luce serenâ*
*Cynthius irradiat cunctas; Mens omnibus vna,*

*Proti-*

Protinus immemoresque sui, plausêre, doloris:
Ac veluti exoriens, raptos de nocte colores
Dum Sol restituit rebus, lucemque refundit;
Omnia lætantur, pecudes, pictæq; volucres,
Surgenti applaudunt Phœbo, Solemque salutant.
Sic geminus sonuit collis, sic gestijt Aon,
Sic Driades gauisæ; vt Delius ora resoluit,
Conticuêre omnes, intentæque ora tenebant.
Qui sic exorsus: Sponsum Cyllennius iste
Pan cecinit, Sponsam celebrabo, audite Sorores:
Nuper in æthereis multorum vota precantûm
Sedibus exposita, & votis suspiria mista;
Ecquænam Regi in Sociam Sceptrique Torique
Cedere Sarmatico possit? quæ fœdere iungi?
Res perplexa fuit, nam quorum vota fuêre,
Hos omnes cunctorum Rex hominumque, Deumque
Acciri subitò iussit, Diuosque vocari.
Tum sic æternus Solio Pater, inquit, ab alto;
Empyrei Proceres, multorum vota precesque
Sæpiùs ad nostras accedunt, cernitis, aures;
Poscitur à nobis cælis promissa virago,
Lechiadum expetitur Regi spes altera gentis,
Ingens multorum Regumque Ducumque propago,
Nominis excelsi Princeps LVDOVICA, MARIA,
GALLICANIS digressa plagis, sunt LILIA præsto
LILIA Sarmaticæ, radio inscribenda, Coronæ;
Et Gentis, Generisque decus, candentis Amoris
Flos insigne nitet, Genialia Stemmata DIVAM
Circumstant, AQVILÆ paritèr, quas MANTVA eidem
Sanguine cum Patrio dedit, haud sine Numine Diuum;
Hinc Fasces titulique fluunt, micat agmen Honorum,
Quos Proaui gessêre Deæ; decor omnis adornat
Regalem Sponsam, circumnatat ignis in ore,
Viuaque per roseos incedit purpura vultus;
Maiestas humeros, placidam Clementia frontem
Ipsius irradiat, possedit pectora candor;
Hanc Dictynna Soror, comitem delegerit vnam;
Huic Dictynna Soror, Comitem non se esse negarit;

*Syderibus certant oculi, sed purpura labris*
*Candidulis, Pæstana Genis opulentia cedit,*
*Quidquid forma homini potuit concedere, quidquid*
*Seu pratis Zephyri donant, seu æquora gemmis,*
*Unius id facies extinxerit* HEROINÆ:
*Tot nunquam credo Charites, Cythereia vidit*
*(Tres nempè illa tulit)* MARIAM *quot cingere cernas;*
*Turba venustatum longo ordine, turba leporum*
*Adsunt* LVDOVICÆ, *parat hanc Deus ille Maritam,*
*Quod si diuitias animi, si dona pudici*
*Pectoris exponam? vel castâ Pallade natam*
*Quisquam crediderit, vel Palladis esse gemellam,*
*Maior ei sexu prudentia, maior & annis*
*Huic Tali & Tantæ Heroinæ Rex* CASIMIRVS
*Non Fasces tantùm Regni, aut Diadema; sed vltro*
*Pectoris Heroi, facilem submittit amorem;*
*Ergo quisquis Connubio huic fauet, omine fausto*
*Jam faueat, stabili iungantur fœdere dextræ;*
*Adsit dulcis Amor, Pax aurea iungat Vtrosque.*
*Adijciens* AQVILAS AQVILIS, & LILIA, SCIRPO;
*Sic in perpetuum maneant; sint Stemmata semper*
*Florida,* REX *pariter viuat,* REGINA *vicissim*
*O VIVANT! cœptis non desit. Fascibus Hæres;*
*Augustis Sceptris volitent, per vtrumque Trionem*
*Viuat Hymen, Hymæneus Hymen, sint Regia curæ*
*Illi Coniugia, æternum victura Polonis.*
*Sic volumus. Quidnam placeat? Depromite Patres,*
*Assurgunt omnes venerabundique. Tonantem*
*Sectantur longo assensu, repetuntque frequentes;*
*Felices viuant,* REX & REGINA *Polonûm,*
REX CASIMIRVS, *Io, Coniunxque, decusque, iubarque,*
*Sit* REGINÆ; REGI *sit* LVDOVICA *vicissim!*
*Hinc à Concilio cælestûm interpres vterque*
*Jussus abire. Placet vinclis socialibus ambos*
*Stringere, quos iam iunxit Amor; Mox Ara peractum*
*Connubij firmauit opus; simul Annulus auro*
*Cognatas Regum animas, felicis in Orbem*
*Junxit amicitiæ; Regum Sacra fœdera, Regnum,*

*Accepit,*

*Accepit, Natale solum fortunaque Lechi,*
*Reginas* AQVILAS *&* GALLIGA LILIA, *Reges*
*Detulit in placidi conclaue Tori Thronique.*
*Jamque quod audistis: Nupta hæc fit; Rexque Maritus;*
REX *Lechiæ Sponsus, Sponsa est* LVDOVICA MARIA.
*Jamque adsis Lucina Toris, properate Camenæ,*
*Cernite quos geminant turrita Palatia plausus,*
*Autuè quibus modulis, Regum* VARSAVIA *Nutrix*
*Personat, Aoniâ circum applaudente caterua*
*Lechiacas afflante Lyras, & barbita cælo.*
*Jamque abeo, cantuque vocor, vocor atque Hymenæo;*
*Vos hic interea geminate Thalassio, Musæ,*
*Dicite Hymen Citharis, Hymen, ô Hymen, Hymenæe!*
*Hæc vbi dicta dedit; Doctæ plausêre Sorores;*
*Et postquam ter Hymen, ter postquam Hymenæe dederunt,*
*Pegaseo extinctos, lauerunt flumine, fletus;*
*Phœbique exemplo, properant Cithereia Serta,*
*Myrthea Serta manu texunt, Citharasque reposcunt,*
*Instructæque Choris, Driadum iunctæque choreis,*
*Lætitiæ in signum, manibus dant,* LILIA, *plenis,*
*Ingeminant læto faustos Helicone Triumphos.*
*Pulcher Hymen, Hymenæe Hymen, Hymenæe venito;*
*Nunc Ver Liliferum, nunc formosissimus Annus*
*Aduenit, & per odoratas Nardosque Rosasque,*
*Et flores Hiacynthe tuos, per florida prata*
*Vadit ouans, viridemq́ vehit per Nubila Maium,*
*Floricomo Temone sedens, frangitque lupatis*
*Alipedes Roseis, tondentes gramina morsu.*
*Approperant æstatis opes, & florea Messis,*
*Et decus herbosum, reuirescit gloria flore,*
*Totaque purpureis spatiatur Gratia pratis;*
LILIA *dum noua, per campos vernare Polonos*
*Flora videt, vernantia* LILIA; *quæ* LVDOVICA
*Spargit Hyperboreas latè Regina per Oras,*
*Connubioque suo suspensum detinet Orbem.*
*Magna* CASIMIRI *Consors, Sceptrique Torique,*
*Quam per Connubium hocce nouum, optat Lechia gratans*
*Æternam* CASIMIRE *Tibi, cupit atque Coronæ*

*Sarmaticæ. O VIVAT Tecum Illa, in Nestoris æuum,*
*Atque suos placidos in Te transfundat Amores.*
*Spemque Tibi Regni, Lechicum producat Iulum,*
*De nostris Annis Vobis Iupiter augeat annos!*

## AVSPEX AVGVRIVM
## Serenissimo Regi, fauente cælo, Regale Connubium ineunti.

POrrige REX Generose, manum, da Fata videri,
Experiar quali sidere natus eras?
Linea meridiem spectans, est linea Martis;
Recta secat Lunam; quæ retro versa Iouem;
Da Saturne duos digitos; vbi linea transit,
Quæ non stante procul pollice, tangit opes;
Martem prima notat: Sterilem vetat esse secunda,
Tertia Regna vouet, viuere quarta cupit;
I Fortunatus per Regia facta, Trophæis
Palmatas numera, vindice pace, Togas;
LILIA iuncta TVO SCIRPO, hæc dant omina nobis,
Victorem cupiunt, Teq; Lechosque, Tuos;
Tandem perpetuos generabit gloria Lauros,
Nam CASIMIRE Tibi, Numen & astra, fauent.

## Lector Beneuole.



HVcusq; licuit nobis Pompæ Connubialis, SERENISSIMARVM MAIESTATVM, non tàm laudatores, quám potiùs veneratores esse. Vlteriùs procedere, Eremitica non concedit Pallas. Si quid in posterum (prout iam Pacis vel Victoriæ futuræ, sub

ſub adeò Fortunatiſſimis Principibus certa captamus omina ) Regno, Regiq; Noſtro, felicitatis Publicæ acceſſerit, pro complemento ſperatæ ſoſpitatis, Religioſum nos quoque applauſum, conferre haud tardabimus. Quod ſi forte & Mars, Arma de nouo conclamabit; arma & nos Orationum protinùs arripere, atq; noſmet ad vmbras Eremiticas recipere nõ grauabimur. Faxit attamèn, Aeterna illa Mens, vt ſicut nuper, ſtante hâc Nuptiarum celebritate, Sereniſſimus Gradiuus Noſter Lechic', abiit in Narciſſum; Bellona in Floram; Spicula in Lilia; Haſtæ etiam in Roſas mutatæ fuerant : ita eodem DEO Auſpice, vt inter rubentes Galearum criſtas, floridus Triumphorum aſſurgat apex; inter ferreos bellorum apparatus, Victoriarum vernet Gratiâ; & deniq; inter haſtas hoſtili ſanguine rorantes, emicent triumphalia Lilia; Hæc, inquam, omnia & ſingula, vt proſperè eueniant, ſupplicitèr precamur & apprecamur vniuerſi; atque pro æterno anathemate, Sacris, Diuiniſſimæ Diuæ Noſtræ, poſtibus, è voto totius Reipublicæ Polonæ, parta quæuis, de Hoſtibus in futurum Trophæa, nos fide bonâ affixuros, pollicemur.

*Da id ô DEVS! da id ô CHRISTE! Fideliſſimâ Interuentrice DIVINISSIMA DIVA NOSTRA CLAROMONTANA.*

---

Superiorum Permiſſu.


BIBLIOTH: UNIV.
JAGELLONICAE


Biblioteka Jagiellońska
stdr0010807